

de Laicis suis malefactoribus querelam penes secula- rem iudicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cetero præsumantur, protestando expressè quòd ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet: quamvis aliàs in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari, si iudex mortem illis inferat iustitia exigente.

Rationem subjicit: "Alioquin si Prælati aut Clerici propter metum hujusmodi (quia iudex ad pœnam sanguinis posset procedere de suis malefactoribus) taliter conqueri non audent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem ipsorum bona libere deprædandi.

XIX. Ut ergo decisio hujus Decretalis obtineat, atque Clericus qui hujusmodi querimoniam deposuit, irregularitatem evadat, requiritur.

Primo, ut ipse Clericus accusans protestetur expressè, quòd ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendat.

Credunt communiter Canonistæ, hoc in casu pro evitanda irregularitate adeò esse necessariam hanc expressam protestationem, ut licet revera accusans habeat animum planè alienum & aversum à morte aut mutilatione accusati, equidem irregularis, etiam coram Deo constituitur, si hanc protestationem omiserit, quemadmodum notat Covarvias ad *Clement. si furiosus. parte 2. §. 5. n. 2.*

Sed quid si omnes circumstantiæ clament, accusationem unicè ad reparationem damni illati à Clerico institui, an ipsa protestatio necessaria dicetur? Non apparet. Ad quid enim ipsa protestatio; nisi ut Clericus ostendat, se à sanguinis effusione & vindicta alienum? quod dum ipsæ circumstantiæ patenter ostendunt, protestatio superflua videtur.

Neque enim fas est credere, Pontificem aut Ecclesiam hanc exteriorem & verbalem protestationem proposuisse, tamquam formulam quamdam, qua posita abstergeretur irregularitas; & qua ommissa incurreretur irregularitas; uti nonnullis persuasum fuit.

XX. Ulterius eidem illi conclusorunt, mediante exteriore illa verbali protestatione, Clericum evadere irregularitatem, tamen si animum habeat protestationi contrarium.

Verum quidem est, Clericum exteriùs ita protestantem, in foro exteriori non posse pro irregulari haberi ob animum protestationi contrarium; eo quod de occultis & in solo animo late nitibus Ecclesia non judicet: dubitari tamen non posse videtur, quin Pontifex sinceram protestationem, non autem aliquam dumtaxat fucratam verborum formulam requirit.

Quare non malè notavit Cardinalis Hostiensis in Summa ad titulum de Homicidio §. 5. "Quod si intentio nostra erat, ut ad mortem damneretur, irregularitates esse, qui quibuscumque verbis fuerit intentio, velata: licet per Ecclesiam non prohibeamur nisi constet per confessionem vel probationem, vel quia nihil volebamus, sed aperte hoc dicebamus.

XXI. Interim ex ea plurimum opinione, quod hæc protestatio, etiam ut mera formula exteriùs prolata sufficiat, ut evitetur hoc in casu irregularitas, tandem & hoc invaluit, intercessionem Episcopi pro Clerico degradato & curiæ seculari tradendo sufficere, etiam si sciat, eam omni effectu frustrandam, ipsumque degradatum certò morte afficiendum.

Equidem cum hæc irregularitas ex jure positivo humano dependeat, prout Ecclesia irregularitatem tollere tamen ea protestatio aut intercessio, quæ ex mente primitivè instituentium debuit esse sincera & efficax, tandem defecit in quandam externam dumtaxat formulam, quam equidem retineri desiderat, ut pristina disciplina, & spiritus hujus irregularitatis memoria saltem maneat, & Ecclesiæ Ministris refretur.

XXII. Notant ulterius Canonistæ, quod hæc protestatio non eximat Clericum accusantem ab irregularitate ad mentem Decretalis Bonifacii VIII. ubi ipse eum accusavit pro furto vel injuria non sibi, sed alteri illata: quasi Constitutio prædicti Cap. 2. tunc locum habeat, accusatio proponitur pro injuria ipsi accusanti illata, aut saltem suis & propinquis; ita Felinus ad Cap. POSTULASTI. De Homicidio; quem refert & sequitur Covarvias loco citato; addens tamen hanc opinionem ita posse intelligi, quod "nihilominus Clericus protestatione facta possit absque metu irregularitatis delictum aliquod præcogitatum & denique tractatum, in grave reipublicæ dispendium, aut proximi damnum, cautè deferre ac denuntiare in medelam potius, quàm ad punitionem.

XXIV. Nec tantum Clericos hæc irregularitas spectat, sed etiam Laicos; eatenus saltem quòd si in causa sanguinis sententiam tulerint; aut ad eam concurrerint eo modo quo nunc expositum fuit, fiant irregulares ad Ordines, quin & Tonsuram Clericalem suscipiendam citra dispensationem.

XXV. Hoc tamen notandum, neque Clericos, neque Laicos irregularitatem incurrere ob concurrentiam in causa sanguinis, nisi re ipsa sententia sanguinis executioni mandata fuerit, id est, mors aut mutilatio ipsius criminosi fuerit sequuta: neque refert, quo eventu, aut etiam fraude vel maleficio executio sententiæ fuerit impedita: uti ex dictis capite primo facile potest intelligi.

XXVI. Ulterius quia hæc irregularitas à jure positivo humano dependet, quid mirum si non ubique eodem cum rigore observetur. Et quidem testes à iudice compulsi ferre testimonium in causa criminali, non censent irregulares secundum Jurisprudentiam Gallicanam, moreque & usum hujus Regni Gallicani: quia causa proxima mortis reorum non habentur, sed remota dumtaxat, ait R. P. Natalis Alexander in Theologia dogmatica & morali tractatu de Sacramento Ordinis cap. 4. art. 9. n. 1. additque: "Idem est de Notariis, judicium; sed aliarum Ecclesiarum disciplinæ ac moribus (ait) Gallicani mores non præjudicant.

XXVII. Refert quoque Julianus Brodeau in notis ad Loventium lit. B. n. 1. iudicatum in Senatu Regio *canonicis classibus* anno 1623. Scribam seu Graphiarium criminalem, qui per plures annos signaverat, & pronuntiaverat plurimas sententias sanguinis; earumque executioni interfuerat, non incurrit irregularitatem; ac potuisse sine ulla dispensatione beneficium Ecclesiasticum obtinere. Rationem subdit Brodeus: "Graphiarius non fundit sanguinem neque effusionis causa est; nihil confert de suo, non est nisi simplex iudicis minister.

XXVIII. Solus Pontifex in hac irregularitate dispensat; uti notat Pyrrus Cortadus in Praxi dispensationum lib. 5. cap. 2. ubi & formulam dispensationis refert, in qua nihil speciale occurrit; sed committitur simpliciter Ordinatio, ut cum Oratore dispense, si preces veritate niti compererit, & dummodo Orator reperiat, idoneus, vitæque ac morum probitas aliaque merita sibi suffragentur, nec aliud obstat Canonikum impedimentum; & quod de cetero à similibus abstinere.

CAPUT V.

De irregularitate ex defectu corporis.

1. Hæc irregularitas nota in veteri Testamento.
2. Lex veteris quoad hunc articulum abolita.
3. Primitivè Ecclesiæ seculari ignota.

4. Partes

4. Patres Ordinandis Sacerdotibus parum attendebant vitium corporis.

5. Etiam seculo 4. irregularitas ex solo vitio corporis non desumpsit.

6. Pontificum Decreta que soli corporis defectui irregularitatem adscribere videntur.

7. Aliquando dubitatum, an macula in oculo non causaret irregularitatem.

8. Non videntur Pontifices soli defectui corporis adscribere irregularitatem.

9. Patiens defectum corporis potest in Altari ministrare si scandalum non timeatur.

10. Defectuosus ad functiones Altaris admittitur, si sine irreverentia possit.

11. In scandalum & irreverentiam hæc irregularitas refunditur; præcipue jure Decretalium.

12. Quis defectus superveniens impediatur ex cutionem Ordinum.

13. Quis defectus inducat irregularitatem, Episcopi est judicare.

14. Auctoritas Episcopalis in hoc puncto fundatur in antiquo Canone.

15. Quæ hic ab Episcopo attendenda?

16. Eminentia in doctrina & moribus aliquando supplere potest.

17. Rescriptum de dispensatione super hoc defectu semper ad Episcopum dirigitur à Curia Romana.

18. Tantum per seipsum de defectu judicare potest Episcopus.

19. Specialis clausula in dispensatione super defectu oculi Canonis.

Hæc irregularitas notissima fuit in veteri Testamento, eò quòd Leviticus cap. 21. v. 18. & 19. dictum esset à Domino ad Moysen: "Loquere ad Aarom: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel heriosus.

II. Verum hæc aliaque plura populo Judaico præscripta, unà cum veteri lege deserant; atque in Sacerdotibus novæ legis, non tam corporis, quàm mentis & animæ vitia expendenda lex nova præscripsit; voluitque Christus non ex una Tribu, sed ex omni Gente optimos quosque eligi in Sacerdotes; uti jam pridem rectè notavit Auctor Constitutionum vulgò Apostolicarum: "Pro una Tribu Sacerdotali (ait) justit ex unaquaque Gente, optimos quosque ad Sacerdotium eligere, neque corporum vitia contemplari, sed religionem & vitam.

III. Narrat Sozomenus lib. 6. hist. cap. 30. de quodam sancto Anachoreta Ammonio, quòd cum capiendus esse, ut Episcopus ordinaretur, nec rogando persuadere potuisset iis qui ad ipsum capiendum venerant, ut abirent abscessu sibi auricula: "Abite, inquit, post hæc enim, ne quidem si vellem, Sacerdotalis lex me ordinari sinit. Integri enim corporis Sacerdotem constitui oportet.

Post hæc subjicit Sozomenus: "Illi digre ssi, postquam intellexerunt, Judæis quidem hæc observanda esse; Ecclesiam verò de corpore non curare, dummodo Sacerdos integer sit moribus, denuò redierunt, eum comprehensuri, tum ille juravit, se linguam quoque sibi præcisurum, si vim facere tentassent.

Eandem historiam narrat Palladius in historia Lausiac cap. 12. additque, "fuisse Episcopum, qui viris illis dixerat, Ecclesiam lege veteri in hoc puncto non esse subjectam; seque paratum ordinare virum bonæ

vitæ etiam naso amputato. (Hæc lex iniquiebat) in usu sit apud Judæos; mihi autem si vel truncatus naribus, adduxeritis, qui sit bonis moribus, ego cum ordinaro.

IV. Et si consulamus antiquos Canones, facile videbitur, patribus persuasum fuisse, parum de corporis defectibus curandum in electione Sacerdotum, ubi de eorum bonis moribus, ac necessariis qualitatibus ad Sacerdotii functiones ritè obeundas constat.

Canon 76. vulgò Apostolorum ait: "Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum pollut, sed animæ inquinatio." Et rursus Canon 77. "Qui autem est surdus & cæcus, ne sit Episcopus; non ut pollutus, sed ne Ecclesiastica impediatur.

Hinc manifestum est, juxta disciplinam his Canonibus expressam, defectum corporis non ponere impedimentum Ordinis, etiam Episcopatus, sive irregularitatem; nisi talis sit defectus, qui defectuosum incapacem reddit functionibus Ordini annexis obeundis: quòd & Balsamon & Zanaras in Commentariis ad hos Canones observarunt; unà notantes differentiam inter veterem & novam legem; quòd "illa exigeret consecratos ipsarum ministros, integros esse corpore, non tamque nullam habentes: ac nemo parte corporis aliqua deformatus, aut mutilatus admitteretur ad Sacerdotium. Sed etiam post Sacerdotium, si cui Sacerdotum membri vel partícula cujusquam mutilatio contigerit, Sacerdotio multabatur. At iis, qui consecrati sunt apud nos [ait Zanaras] mutilatio corporis impedimento non annumeratur, Animam nempe requiritur habere puram, sine vitio & forde." Vel ut loquitur Balsamon: "Animam puram & integram volunt omnes habere, non autem corpus.

V. Innocentius I. ad Felicem Nucernanum scribens ait: "Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contingit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos Canones præcipiunt & Clericos fieri, si in Clero fuerint reperti, non abjici. In illis enim voluntas est judicata quæ sibi ausa fuit ferrum injicere: in istis verò casus veniam meruit.

Patet Innocentium seculo IV. irregularitatem non desumpsisse ex mero & simplici corporis defectu, sed ex ausu temerario, quo sibi ferrum inferre, & seipsum mutilare ausus fuit.

Itaque nec Ecclesia Latina eo tempore defectum corporis pro irregularitate habebat.

Verum nonnulla posteriora Decreta defectuosos corpore irregularibus annumerasse videntur.

VI. Apud Gratianum *Dist. 55. Can. 3.* refertur ex Concilio Romano sub Hilario Papa seculo V. "Pœnitentes, vel inscii litterarum, aut aliqua membrorum damna perpe ssi ad sacros Ordines aspirare non audent. Quisquis autem talium Consecrator extiterit, factum suum ipse dissolvat.

Et Canone 13. ibidem refertur ex Epistola Gelasii I. "Illi cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones Sacerdotii jura concedi. Neque enim aliquid ei prodest, quòd oculum invitus amisit, cum nec volens quisquam oculum amisisse credendus est nec sacratissimos Canones aliquem casum in amissionem oculi, qui ad Sacerdotium adipiscendum non impediret, suis excepisse regulis invenimus; sed hoc tantummodò ad prohibitionem sufficere videmus Patribus, ut qui careret oculo, Sacerdotii officium adipisci non possit.

Si hæc Decreta simpliciter ac generaliter, prout sonant, accipiantur, videntur hanc irregularitatem ad defectum corporis, tamen usum Ordinis non impedi-

entem

entem extendere. Quis enim nescit, uno tantummodo oculo orbatum, aut caecum, posse interdum Ordinis etiam Sacerdotalis functiones aliquas rite obire? Unde ob hoc forsitan similesque Canones, nonnulli circa hanc irregularitatem iusto rigidiores atque scrupulosiores fuisse videntur.

VII. Et quidem aliquando dubitatum fuisse, an irregularis non esset, qui *maculam in oculo* haberet; atque super eo dubio consultum Alexandrum III. intelligitur ex ejusdem responso quod refertur in *Cap. 2. De Corpore vitiatas*. Simile dubium propositum fuisse Honorio III. colligitur ex *Cap. 1. De Corpore vitiatas* in quinta compilatione Decretalium per Innocentium Cironium.

VIII. Attentis vero responsis Pontificum ad proposita dubia, facile intelligi poterit, Pontifices non existimasse defectum corporis constituere aliquem irregularem, nisi vel culpa defectum patientis intervenerit; vel defectus hujusmodi sit, ut vel absolute ipsum defectu ad obeundas functiones Ordinis reddat incapacem; aut saltem ratione illius periculum notabile irreverentiae aut scandali subdit.

IX. In *Cap. 1. De Corpore vitiatas* de Presbytero qui cum notabili sua culpa partem digiti amiserat, respondet Alexander III. "Quod cum ipse non perdidit tantum de digito, quin *sine scandalo* possit solemniter celebrare, satis potes post peccatam poenitentiam cum eo misericorditer agere, & permittere ipsum in suo Ordine ministrare, licet ejus excessus gravis admodum extiterit.

Manifestum est, Pontificem pro excessu commisso convenientem quidem ante Ordinis executionem à Presbytero peccatam voluisse poenitentiam; sed ea peccata, nullam judicasse habendam rationem defectus digiti; eò quod non perdidisset tantum de digito, quin *sine scandalo* possit solemniter celebrare.

X. Et Honorius III. de quodam Monacho, super cuius dextera pollicem barra quadam fortuito ceciderat, atque unguam avulserat ab eo, respondet Episcopo Engolismensi, "quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens, & aliud canonicum non obstat, propter deformitatem hujusmodi non dimittat quin eum ad Ordinem promoveat Sacerdotis." *Cap. fin. De Corpore vitiatas*.

Hinc rursus patet: Pontificem supposuisse omnem irregularitatis rationem esse petendam ex deformitate, quæ Ordinis executionem impediret.

XI. Exat sub nomine Eugenii Papæ Decretalis in *Cap. 2. De Clerico agrotante*, & habetur in appendice ad concilium Lateranense III. sub Alexandro III. *parte 26. cap. 15.* sub hoc titulo. *Eugenius Papa primus Sarenis Episcopo*. Quidquid sit de veritate tituli, ac Auctore Decretalis, in ea interim refertur: "Presbyterum, cuius duos digitos cum medietate palma à prædone abscissos significasti, Missam non permitimus celebrare." Rationem subjungit: "Quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri fieri posse confidimus?"

Non igitur in ipsum simpliciter corporis defectum irregularitatem, sive suspensionem à celebratione Missæ refundit; sed in *deformitatem* quæ *sine scandalo*, & debilitatem quæ *sine periculo* celebrationem permittere non videntur; unde & addit: "Ipsam autem ceteris officii Sacerdotis fungi minimè prohibemus." Cur ita? quia hæc officia securè sine periculo non obstante debilitate manus, & *sine scandalo* non refragante deformitate, obire poterat.

Quisquis igitur sensus sit Canonum qui sub nomine Hilarii & Gelasii à Gratiano referuntur, interim ex his aliisque Decretalibus concludunt Canonistæ, juxta modernam disciplinam, vitium sive defectum corporis,

qui sine culpa patientis accidit, non inducere irregularitatem quæ ad Ordines suscipiendos; nisi talis fuerit defectus, ut vel simpliciter impediatur executionem Ordinis; aut eam corporis deformitatem annexam habeat, ut functiones Ordinis securè & sine periculo, aut offensione populi peragere non sineerent.

XII. Defectus autem corporis post Ordines susceptos superveniens, ex communi Canonistarum sententia, conformiter ad relatas Decretales, non inducit irregularitatem nisi quoad illos Ordines & eas functiones, quæ ob defectum illum securè & sine periculo, & sine scandalo peragi nequeunt.

XIII. Quis verò defectus hujusmodi deformitatem inducat ut sine periculo aut scandalo Ordinis executio permitti nequeat; ut ea ratione aliqua irregularitas vel quoad Ordinem suscipiendum aut susceptum subsistere censenda sit, hoc potest ipso facto melius perpendi, quam aliquo statuto exprimi, ait Glossa ad *Cap. 2. De Clerico agrotante*, verbo *Deformitatem*.

Judicare autem & determinare in particulari casu, quæ sit notabilis aut levis deformitas, & an hic & nunc ob talem deformitatem periculum aut scandalum per Ordinis executionem sit timendum, judicio Episcopi determinandum esse, uno consensu concludunt Canonistæ sequuti Glossam in *Cap. 2. De Corpore vitiatas*, ita ut non sufficiat arbitrium Confessarii vel alterius prælati inferioris; uti post alios citatos docet Barbosa Depotestate Episcopi *parte 2. Allegat. 42. n. 60.* qui & ibidem addit: "Respectu Regularium ad eundem Episcopum id declarare competit, non autem ad Superiores regulares, nisi eisdem expressè à Sede Apostolica delegaretur.

XIV. Auctoritatis Episcopalis quoad hanc determinationem argumentum suppeditat *Can. 3. Dist. 33.* ubi decernitur, quod hi qui aliquando corporis incommoditatibus in terram elisi fuerunt, "tamdiu erunt ab officio sui Ordinis & loco suspensi, quousque unius anni spatium per discretionem Episcopi inveniatur ab incursum demonum liberati." Vel ut verior lectio habere videtur, *alieni*.

Non ab simile hujus auctoritatis argumentum occurrat in *can. 2. caus. 7. q. 2.*

XV. In hac determinatione tempus, locum & personam ejusque dotes merito Episcopus attendit.

Neque enim dubium est, quin uno loco defectus aliquis possit esse offensionis, & non alio, ubi hujusmodi defectus vel est frequentior, aut minus attenditur. Idem dicendum de tempore.

Persona quoque plurimum attendenda. Potest enim contingere, ut defectus corporis in uno impediret debitam executionem Ordinis, & non alio: eo quod is sit aliorum membrorum vigor, ut debilitatem aut defectum alterius supplere queat.

Exempli gratia carens oculo sinistro, sive *Canonis*, ut vocant, communiter habetur irregularis quoad Ordinem Sacerdotii suscipiendum aut Missæ celebrationem post Ordinem susceptum; "si quis tamen carens visiva virtute in oculo sinistro sive *Canonis*, & tanta polleat virtute in dextro, ut sine deformi faciei conversione possit legere *Canonem*, non est irregularis," ait post alios Barbosa loco citato *n. 31.*

XVI. Similiter indubitatum est, quod adeo possint eminentes esse in aliquo qualitates seu quoad mores, seu quoad doctrinam & zelum, ut defectus corporis, qui aliàs offensionem populi pareret, ob hæc eminentes qualitates non causaretur; aut si quæ forsitan offensione timeretur, ea merito ob bona, quæ ex Ordinatione & promotione hujusmodi defectuosi sperantur, negligi deberet.

XVII. Aliquando super aliquibus defectibus corporis peti hodie dispensationes in Curia Romana praxi quotidiana docet, monetque Pyritus Corradas in praxi dispensationum

dispensationum *Lib. 3. cap. 6. n. 19.* quod dum conceditur dispensatio super irregularitate in Dataria Romana, hæc nunquam inscribatur seu committatur Vicario seu Officiali Episcopi, sed semper ipsi Episcopo; idque ob *textum Cap. 2. De Corpore vitiatas*, qui Episcopo auctoritatem cognoscendi & judicandi de defectu corporis tribuit. "Quod quidem ait Corradas) adeo in consuetudine observatur, ut cum sacra Poenitentia Apostolica, ex facultate sibi tradita, dispensat cum Religiosis professis, corpore vitiatas, nunquam alteri quam Ordinario illius loci, ubi orator professus est, rescribat: dando illi facultatem cum illo dispensandi super corporis vitio seu defectu, cum illius limitationibus, & clausulis, quibus utitur Cancellaria Apostolica, sed gratis quoad omnia.

XVIII. Clausula verò præcipua qua utitur Cancellaria Romana in hac dispensatione hæc est: "Committatur Ordinario qui inspecto per seipsum & considerato diligenter dicto defectu si talis non sit nec ex eo proveniat tanta deformitas, quæ scandalum generet in populo aut divinis impedimentum præstet, super quo ejusdem Ordinarii conscientia oneretur, cum eodem oratore, dummodo ad id reperitur idoneus, vitæque ac morum probitas, & virtutum merita sibi suffragentur; nec aliunde ei obstat impedimentum, dispenset.

XIX. Cum autem hujusmodi dispensatio petitur super defectu oculi *Canonis*, ne ipse patiens legendo Canonem vertat se ad populum, volens oculum dextrum ad Canonem dirigere, additur in formula dispensationis hæc clausula *Et quoties Missam celebrabit, tabellam Canonis in medio altaris tenere debeat.*

CAPUT VI.

De irregularitate ex crimine.

1. Ordinandi ex sententia Apostoli debent esse sine crimine.
2. A quo tempore dubiorum esse sine crimine.
3. Pocius actam poenitentiam non admittentur olim ad Ordines.
4. Non poenitentia, sed crimen excludit Poenitentes ab Ordinibus.
5. Crimen olim etiam ab exercitio Ordinis suscepti excludit.
6. Crimen occultum etiam olim irregularitatem inducitur.
7. Hæc disciplina necdum seculo XI. totaliter erat obrogata.
8. Pontifices seculo XI. eam disciplinam adhuc probaverunt.
9. Episcopus erat potestas dispensandi si crimen esset occultum.
10. Seculo IX. capit invalescere distinctio inter crimen publicum & occultum; & quæ ejus occasio.
11. Hæc distinctio à Gratiano proposita & probata.
12. Gratianum sequenti Canonistæ eam distinctionem probaverunt.
13. Pupilla crimina ob infamiam hodie inducunt speciem irregularitatis.
14. Id intelligitur tam de infamia facti, quam juris.
15. Moderna disciplina prolapsos in crimen occultum non admittit ad Ordines, nisi post actam poenitentiam.
16. Graviora nonnulla crimina etiam occulta irregularitatem inducunt.
17. Super irregularitate ex crimine occulto Episcopus dispensare potest.
18. Quod hic dicitur occultum.
19. An sufficiat quod factum sit materialiter notum.

20. An deductum ad forum contentiosum semper habendum sit pro publico.

21. Ecclesia mens non est, quod criminosis etiam occulti à sacris Ordinibus repellit non possint.

22. Synodus Tridentina permisit Episcopis, ut occulte criminosis ab Ordinibus repellant.

23. Synodus Tridentina correxit Decretales.

24. Quesit Episcopus etiam criminosis occultum suspendere.

25. Interdum ab Episcopo recusante ad Ordinem admittitur datur recursus ad Pontificem.

26. Hujusmodi recursus non facile admittendus.

Apostolus Tito discipulo suo præscribens, quod per civitates Presbyteros constituere deberet, inter ceteras qualitates in his requisitas reponit: *Si quis SINE CRIMINE* est. Et deinde paucis interpositis: *Oportet Episcopum SINE CRIMINE esse sicut Deus dispensatorem*

Rursus ad Timotheum scribens: *Oportet Episcopum IRREPREHENSIBILEM esse* Et infra de Diaconis loquens ait: *Et hi probentur primum: & sic ministrent, NULLUM CRIMEN habentes.*

II. Hunc Apostolicum Canonem in Ministrorum electione & Ordinatione pressius sequuti SS. Patres, irregulares, sive à sacris Ordinibus eorumque usu exclusos censebant, qui non essent *sine crimine*; sive requirebant *nullum crimen habentes*; id est, qui nullo crimine innocentiam Baptismalem maculassent; quamvis jam per poenitentiam crimen eluissent.

"Non eo tantum [inquit S. Hieronymus] quo ordinandus est tempore, sine ullo crimine sit, & præteritas maculas nova conversatione diluerit, sed ex eo tempore, quo in Christo tenatus est, nulla peccati conscientia mordeatur.

III. Ante Hieronymum disciplina hujus testis est Origenes adversus Celsum tamquam indubitatum & notorium asserens, quod Christiani, lapsos in crimen carnis rursus resipiscentes, haud secus quam redivivos recipiant tandem post longiorem melioris meriti approbationem, quam cum primum ad religionem discendam admitterentur. Attendamus nunc cautionem quam similes admitterentur, "Ea tamen conditione (ait) ut quoniam lapsi sunt, excludantur in posterum ab omnibus Dignitatibus & Magistratibus Ecclesiasticis.

Hinc illud Carthaginensis IV. *Can. 64.* "Ex Poenitentibus quantumvis sit bonus, Clericus non ordinatur.

IV. Circa idem tempus scripsit Siricius Papa ep. 1. *cap. 14.* "Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuiquam non conceditur Clerico, ita & post poenitentiam ac reconciliationem, nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipsi: qui quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Hæc non tantum ostendunt, Poenitentes ab Ordinibus fuisse exclusos, sed insuper, quod non ipsa poenitentia, at ipsum crimen ob quod poenitentia agebatur, ipsis ad Ordines aditum præcluserit: quod etiam advertens Morinus dicere non dubitavit: "Criminum reos, vel poenitentiam agentes ab Ordinibus Ecclesiasticis prohiberi, apud veteres æquipollebant.

V. Nec tantum quoad Ordinum susceptionem gravium criminum rei olim habebantur irregulares, ita ut nec per poenitentiam & reconciliationem irregularitas tolleretur; sed etiam irregulares erant quoad Ordinum jam susceptorum usum; in tantum, ut qui Ordine suscepto in crimen esset prolapsus, in perpetuum ab Ordinibus suscepti usu exclusus haberetur.

Hanc